Gourlay [G.]

# DISSERTATIO MEDICA, INAUGURALIS, DE ERYSIPELATE.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

GULIELMUS GOURLAY,

SCOTUS.

Soc. Regiae Med. Edin. Sod. Extraordinarius.

Ad diem 24. Junii, hora locoque ſolitis.

SURGEON GEN'LS OFFICE LIBRARY.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXII.

Viro illuſtriſſimo,

GULIELMO INGLIS,

Chirurgo Edinenſi,
Collegii Regii chirurgici ſocio,
Omnium et rem medicam et chirurgicam ſpectantium
In primis perito;
Ingenii manſuetudine,
Morum elegantia,
Totius vitae integritate,
Omnibus, quibus ſit notus, cariſſimo:

Nec non,
Viro praeſtantiſſimo

FORRESTO DEWAR,

Chirurgo Edinenſi ingenioſo,
Collegii Regii chirurgici ſodali,
Virtutibus, quae ei plurimae inſunt,
Vere ſpectabili;

Ob curam, quam uterque,
Totum per quinquennium,
In ſe elementis artis chirurgicae
Et medicae erudiendo poſuit, inſignem,
Et humanitatem adverſus ſe conſtanter adhibitam,

Hanc Diſſertationem Inauguralem,
Ea, qua par eſt, obſervantia,
D. D. C Q.

AUCTOR.

Dr Miller
w^d Compl^ts for his
humble Serv^t
the Author.

# DISSERTATIO MEDICA,

## INAUGURALIS,

## DE

# ERYSIPELATE.

EX omnibus, quibus corpus humanum eſt opportunum, morbis, pauci attentionem medici magis merentur, quam eryſipelas, quod et frequenter invadere, et ſummum eo correptis periculum ſaepe inferre ſolet.

Alia nomina apud alias nationes ſibi adeptum. Namque apud Graecos *Eryſipelas* et *Erythema*; apud Latinos *Ignis Sacer* et *Ignis Sancti Antonii*; apud Gallos *Eryſi-*



*pele*,

*pele, Feu de Saint Antoine, Feu Sacre, Roſe*; apud Britannos *St Anthony's Fire*, vel *Roſe*, appellatur.

Quonam in ordine debeat collocari, inter Noſologos certatur. Alii *phlegmaſiis*, alii *exanthematis* accenſent. His potius annumerari debere exiſtimo, auctoritate et argumentis profeſſoris illuſtriſſimi Culleni adductus. Utrum vero hic aut illic colloces, quantum ad curationem attinet, non multum refert.

Quanquam ad naturam phlegmaſiarum magna ex parte accedit; in multis tamen ab iis plane differt.

1. Eryſipelas plerumque cuticulam inter et cutem veram ſedere videtur; phlegmone, contra, ſemper telam celluloſam et vaſa profundius ſita afficit.

2. Eryſipelas a contagione ſui generis manifeſtiſſime oritur, quae humores ſibi ſimiles reddit, et eruptionem facit, quod exanthema in primis deſignat. In phlegmaſiis vero nihil contagionis detegi poteſt.

3. Eryſipelas denique non tantum epidemice graſſatur, ſed a contagione haud dubie proficiſcitur, et typho ſaepe ſtipatur; quod in phlegmaſiis raro, aut nunquam, incidere conſuevit. Multa alia non deſunt, quae brevitatis cauſa omittenda duco, quae hunc morbum ad *exanthemata* relegandum eſſe probant.

## HISTORIA MORBI.

Hic morbus plerumque ab omnibus pyrexiae ſignis incipit.

Ægrotus repente nonnunquam horrore corripitur, quem excipiunt calor auctus, dolor capitis, ſitis, vires imminutae, animus demiſſus, dorſi lumborumque dolor, aegritudo, nauſea, aliquando vomitio. Pulſus arteriarum ſemper frequentes, et plerumque duri et pleni. Calorem comitantur notionum perturbatio et confuſio; delirii, ſomnolentiae, vel comatis aliquantum. Haec

ſigna

ſigna manent, donec eruptio ſe oſtendat, quod plerumque circa ſecundum, tertium, quartumve diem incidit. Eam ſenſus ponderis, et dolor pungens, potiſſimum cum faciem, et ſaepe cum dorſum, abdomen, aliaſque partes invadit, praecedere conſuevit. Locus laborans praeter conſuetudinem ruber, quanquam aliquando ſubflavus et etiam niger evadit, medio ſplendidus et laevis. Tumor accedit, qui preſſurae adhibitae veſtigia retinet, in aliquantum temporis albeſcens. Inaequalis gradatim evadit. Puſtulae exiguae oriuntur, quae nonnunquam in exulcerationes vertuntur. Hoc tempore calor et dolor augentur; febris vero, quae ſaepe abnormis, aliquando lenitur.

Quamlibet partem corporis animalis mollem, cujus ſuperficies epithelio membranave cuticulae ſimili operitur, invadere poteſt eryſipelas.

Si caput occupet, ſigna febrilia, eruptione abſoluta, non brevi decedunt; ſed potius augentur, pervigilio, ſtupore, et delirio

rio feroce, ſubſtantibus. Si faciem primum afficiat, cerebrum quoque plerumque plus minuſve laborare videtur. Dolor capitis graviter urget, et aegrotus ſaepe delirat. Partis tumor et rubor ſub initium non longe patent; ſed paulatim ſemet univerſam in faciem diffundunt, et ab hac pericranium ſaepe petunt, idque totum occupant, et in aliquam cervicis partem, angina interea plus minuſve infeſtante, deſcendunt. Se nonnullis in exemplis totum in corpus ſparſerunt. Ad alteram aliquando aurem incipiunt, alterumque faciei latus petunt increſcentia. Modo ad utramque aurem et radicem naſi incipiunt. Mento interdum circumſcribuntur. Caeterum, aliquot in caſibus, a facie in partem pectoris ſeſe diffundunt. Tota facies tandem non parum turgida fit, tumor flaccidus et mollis eſt, et puſtulae plerumque citius aut ſerius in variis faciei partibus, magnitudine diverſae, et nonnunquam adeo exiguae, ut oculum nudum ex toto fugiant, oriuntur, liquore limpido, qui citius ſeriuſve effluit, repletae.

tae. Hic humor in materiam craſſam aliquando mutatur, quae totam partem cruſta tegit. Hae puſtulae ab aegroto ſaepe rumpuntur.

Superficies cutis, locis in exulceratis, nonnunquam liveſcit et nigreſcit, unde ne gangraena oriretur medici timuerunt; caeterum, nihil aliud eſt, quam materiae e ſuperficie cutis exudantis mutatio. In reliquis partibus, morbi finem verſus, magna ex parte deſquamatur cuticula. Tota quidem plerumque decidit. Haec ſunt ſigna formidoloſiſſima, cum eryſipelas faciem invadit. Cum vero faciem aetate provectiorum occupat, haec omnia ſigna gravia habens, morte plerumque finiri ſolet.

Unus aut uterque oculorum tumore clauditur, qui nonnunquam ad ſuppurationem pervenit. Aliquando neceſſarium evadit tumorem ſcalpello aperire, uti materiae effuſae liceat effluere. Adſunt ſpiritus difficilis, faucium nariumque ſiccitas. Haec ſigna tribus, quatuor, vel quinque diebus, aliquando decedunt; ſed ſaepius octo decemve

cemve manent. Morbum inclinari coepiſſe teſtantur tumor et febris decreſcentia, partes laborantes magis albidae. Et febris et eruptio modo ſudore liberali, modo excretione urinae cum ſedimento copioſo, quam ſumma in aliquot horas anxietas praecedit, adaucta, modo diarrhoea, et ſanguinis ex aliqua parte profuſione, finiri notantur.

Morbo progrediente, functiones cerebri magnopere laeduntur. Delirio et comate, cum magna anxietate et difficili ſpiritu increſcentibus, aegrotus plerumque ſeptimo, octavo, vel undecimo, ab initio morbi die, extinguitur apoplecticus. In exemplis hujuſmodi, morbus a partibus externis ad internas tranſlatus eſſe fuit exiſtimatus. Caeterum, illuſtris Cullenus affectum externum in partes internas per vaſa, quae cranium ingrediuntur idemve egrediuntur, ſanguifera tantum ſemet diffundere, cum et externa et interna inflammatio eodem tempore pergat et increſcat, opinatur. Hunc morbum periodos criticas habere credit.

Quod

Quod hoc in morbo notabile, non raro, in morem podagrae, loca ſua repente mutat, et ad alias corporis partes tranſit. Si ſubito recedit eruptio, accedunt magnus anxietatis ſenſus, calor internus, nauſea, vomitio. Cum in ſuperficie ſe rurſus oſtendit, omnia ſigna modo comprehenſa protinus levantur, brevique decedunt.

Cum eryſipelas pedem corripit, partes tumeſcunt et rubeſcunt, et cutis ſplendet. Crura interdum quoque tumore aſcendente afficiuntur, tactumque refugiunt. Pyrexia vero non aeque violenta eſt, ac cum faciem invadit. Accedit nihilominus plerumque ſomnolentia, deliriique nonnihil.

Si mammas invadit, tumeſcunt et admodum dureſcunt, magnopere dolentes, et ad ſuppurationem vergentes; axillae lateris affecti dolor auctus oritur, ubi abſceſſus ſaepe formatur.

Regionem puerorum umbilicalem nonnunquam occupat, et inde in abdomen ſemet diffundit, non raro periculoſum, aliquando funeſtum.

Quinetiam

Quinetiam ad universas partes internas transferri potest. Hoc vero regionum calidiorum magis proprium.

Ventriculum saepe infestat, quanquam non facile detegi valet. Rebus vero ita se habentibus, id plerumque comitantur aliquantum doloris, calor intensus, appetitus prostratus, anxietas, nausea, vomitio frequens; sensilitas, quantum acria spectat, inusitata; cardialgia; nonnihil sitis; ictus arteriarum frequentes. Erysipelas ventriculi se in totum canalem alimentarium saepe diffundit, diarrhoeam movens. Diarrhoea, vomitu accedente, et vomitus, contra, diarrhoea invadente, cessat. A ventriculo nonnunquam in oesophagum ascendit, et in pharynge, totaque oris superficie interna, se ostendit.

Hic morbus plerumque resolutione, frequenter gangraena, sed raro suppuratione, rite curatus finitur.

## DIAGNOSIS.

Morbus unicus, quem multum refert, quocum facillime confundi periclitatur, et a quo accuratiſſime debet diſtingui, eſt phlegmone. Non difficulter tamen ſecerni poſſunt. In phlegmone, inflammatio vaſa ſuperficiei internae cutis verae potiſſimum afficere; in eryſipelate, contra, in vaſis infra cuticulam, potiſſimum ſedere videtur. Inſuper, quantum ad cauſas attinet, differunt. Eryſipelas faciunt acria externae cuti applicata. Et, cum a cauſa interna proficiſcitur, ab acrimonia in ſuperficiem cutis ſubter cuticulam effuſa pendet. In phlegmone vero, acrimonia nulla plerumque ſe oſtendit.

Eryſipelas quoque a phlegmone ſatis clare manifeſteque diſtinguere videntur ſigna, quae ſequuntur, tenſio nempe minor; inflammatio

flammatio vix ulla; rubor roſeus, preſſura evaneſcens; pulſatio minor; tumor circuitu inaequalis, diffuſus, ſerpens, non acuminatus, plerumque ſuperficie non eminentior, veſiculis coopertus, locum primum aliquando mutans, frequentius denique ad gangraenam proclivis.

Eryſipelas pro rubeola et ſcarlatina nonnunquam fuit habitum. Quicunque vero ſigna et progreſſum harum accurate conſideraverit, is facillime has ab illo dignoſcere valebit.

Rubeolam ab eryſipelate figura papularum diverſa, earumque a ſe invicem diſtantia, ſecernere facile eſt. In eruptione eryſipelatoſa, contra, maculae coaleſcunt.

In ſcarlatina, inflammatio ſemet in ſuperficiem totius corporis, potiſſimum trunci, diffundit. Eryſipelas vero partem ſingularem tantum occupat, et ſupra cutem eminet, quod non in ſcarlatina incidit.

QUÆ

## QUÆ MORTALES HUIC MORBO OPPORTUNOS EFFICIUNT.

Ea eſt corporis humani conditio, ut nunquam adverſus morbos ſit tutum. Status quidem ejus valentiſſimus periculoſiſſimis et funeſtiſſimis objicitur. Ex hiſtoria morbi rite conſiderata, non concludere non poſſum, irritabilitatem corpoream pro cauſa, quae homines ei obnoxios efficiat, poſſe haberi. Semet in iis, qui mediam aetatem nondum tranſgreſſi ſunt, quibus habitus corporis plenus, et ſenſilitas ſyſtematis nervoſi inſignis eſt, maxime frequenter oſtendit. Mulieres quam viros frequentius, uti notatur, invadit; et, quanquam mulieres minus quam viri arthritidi patent, corporibus, quae ad hanc ſunt proclivia, non parum gaudere videtur. Omnia quae ad conſtitutionem corpoream debilitandam conferunt, qualia ſunt in plaga calidiore diu agere,

agere, deinde ad frigidiorem redire, proclivitatem ad hunc morbum evidentiſſime praebent.

Saepiſſime in regionibus ad Auſtrum vergentibus incidit, et plurimum autumno, vel cum tempeſtatem calidam frigida et humida excepit, invaleſcit. A labe haereditaria in morem podagrae nonnunquam proficiſcitur, et mortales omni vitae tempore invadit. Caeterum frequenter, donec annum aetatis vigeſimum fueris tranſgreſſus, ſe non oſtendit. Gravidas nonnunquam, infantes vix unquam, pueros rariſſime, occupat. Ex omnibus vero inflammationibus, in aetate provectioribus ſaepiſſime oritur, et in iis, qui ea ſemel laborarunt, repetere non parum periclitatur.

## QUÆ MORBUM EXCITANT.

Ea autem vel externa vel interna. Cauſa quidem maxime inſignis et frequens eſt

frigus

frigus corpori applicatum. Hoc corporibus humanis admotum ſemper multum periculi iis infert. Caeterum, ſi exercitatione violentiore ſint calefacta, effectum periculoſum ſaepe edit. Gradum ad certum cum calefacta, aërique frigido protinus objecta ſunt, adeo ut perſpiratio repente ſupprimatur, eryſipelas ſaepe oritur. Id quoque frequenter movent affectus animi violenti, ut metus, praeſertim ira; edere et bibere intemperanter, mora in balneo nimis longa, omnia ſyſtema nimis calefacientia, evacuationes ſolitae et ab arte petitae ſuppreſſae, velut fonticuli, ſetacea, &c. Idem ſaepe faciunt irritantia partibus externis applicata, qualia ſunt radii ſolares, apum punctiunculae, multorum animalium morſus, exuſtio, contuſiones, fracturae, medicamenta acria et ſtimulantia.

Apud Scotos raro epidemice graſſatur. Caeterum, in plagis calidioribus, nonnulliſque Angliae locis Londini vicinis, id epidemicum, et aliquando etiam contagioſum eſſe, contenderunt medici. De hoc vero multum

multum certatur, cum unum e familia haud dubie corripuerit, nec ſemet ulterius diffuderit. Id tamen a contagione quoque profectum eſſe, minime diffitendum. Ante aliquot enim annos, in Noſocomio Edinenſi, apud aegrotantes curae chirurgorum demandatos invaluit, ſemet plane diffundens, et plures graviter afficiens. Quinetiam, aliis in Noſocomiis, frequenter graſſari a viris, quibus ſumma fides habenda, accepi. Hinc igitur non abſque cauſa graviſſima debet concludi, hunc morbum a contagione nonnunquam poſſe oriri.

Aliis morbis nonnunquam, praeſertim ſcorbuto, anaſarcae, aliiſque hydropis ſpeciebus, et ictero, adjungitur. In morem podagrae, ſyſtemati aliquando magnopere prodeſt. Compluribus in morbis criſin facere videtur; eo enim morbi non pauci depelluntur, ut puerorum convulſiones, aſthma, colica. Cum in canalem alimentarium invadit, ab acribus ore ſumptis ſaepe proficiſcitur.

CAUSA

## CAUSA PROXIMA.

Hunc morbum aliquantum indolis inflammatoriae habere, teſtantur cauſae, quae homines ei opportunos efficiunt, eundemque movent, habitus eorum qui ea ſaepiſſime laborant corporeus, et phaenomena diverſa rite conſiderata. Igitur cauſam proximam, aliqua ex parte ſaltem, eandem eſſe, quae inflammationem ſoleat facere, concludo.

Explicationem hujus vero excellentiſſimam medicinae ſtudioſis, et amantibus, in ſuis *Primis Uſus Practici Lineis*, tradendam curavit illuſtriſſimus Cullenus. Ea autem hujuſmodi. Cum cauſae aliquae, quae vel internae et ignotae, vel externae et evidentes, eſſe poſſunt, quantitatem ſanguinis praeter conſuetudinem magnam quemlibet ad locum miſerunt, vires naturae medicatrices, quo impetui humorum nimio partem laborantem

borantem verſus facto, et ſignis inde pendentibus, congeſtioni, nempe, tenſioni, calori, dolori, &c. occurratur, per ſpaſmum finibus arteriarum extremarum illatum actionem adauctam in reliquis earundem partibus majorem etiamnum efficiunt, factamque, donec ad finem inflammatio perducatur, ſuſtentant. Huic autem ſpaſmo, hoc in morbo, adjungi videtur materia morbifica, vel acrimonia naturae ſingularis, intra corpus progenerata, vel, morbo a contagione oriente, extrinſecus accepta, quae ante per aliquod temporis ſpatium intus agit, quam in partibus externis ſub forma eruptionis ſemet oſtendit. Hanc denique et illum conjuncta cauſam, quae quaeritur, proximam conſtituere poſſe opinor. Quantum vero ad naturam hujuſce acrimoniae attinet, me eam ex toto ignorare plane confiteor.

## NONNULLORUM E SIGNIS EXPLICATIO.

Cauſa proxima ſupra explicata, ſigna pyrexiae quoque facile explicat.

Dolor, calor, rubor, tumor, et tenſio ab impetu ſanguinis nimio, partem laborantem verſus facto, plane proficiſcuntur.

Quae ſigna affectum cerebri deſignant, qualia ſunt dolor capitis, notionum perturbatio, delirium, ſomnolentia, et coma, ea curſui ſanguinis ad caput adaucto tribuenda. Idem quoque, cum ſanguis ad caput, quam ad reliquas corporis partes, copioſius feratur, cur illud frequentius afficiatur, exponit.

Si ſtructuram faciei tenerrimam, et ſenſilitatem ejus exquiſitam, a nervis numeroſiſſimis, quos ei ſufficit cerebrum, in univerſas ejus partes diffuſis, et vaſculis ſanguiferis

guiferis plurimis intermixtis adjunctis proficiſcentia, attentus conſideraveris, non eſt cur eam, ſi impetus ſanguinis caput verſus fuerit factus, prae aliis capitis partibus, affici ſolere mireris. Nec, rebus ita ſeſe habentibus, ratio longe petenda eſt, cur facies gravius doleat, quam pars quaelibet alia eryſipelate laborans.

Si, quot vaſa ſanguifera nervique partes capitis internas et externas inter ſeſe conjungant, ſerio reputetur, non erit explicatu difficile, cur cerebrum, facie quam partibus remotioribus laborantibus, affici magis periclitetur.

Quae deſquamatio, morbo progrediente, citius ſeriuſve incidere conſuevit, ea magna ex parte aëri externo materiam effuſam, cuticulamque a cute vera disjunctam, exſiccanti et friabilem reddenti referenda. Namque nihil ſtructurae animalis expers, quale eſt materia effuſa, parti vivae rurſus adjungi poteſt, ſed decidat oportet.

Quantum ad tumorem ſpectat, qui fere conſtanter, praeſertim in palpebris, ſemet oſtendit,

oſtendit, humori, quem exhalantia cuticulam inter et cutem veram effuderunt, illam ab hac ſeparanti et elevanti tribuendus. Etenim cuticulam inter et cutem veram morbus haud dubie ſedet.

Calor permagnus, cardialgia, vomitus, et diarrhoea, quae accedunt, cum eryſipelas canalem alimentarium occupat, ab irritatione per materiam morbificam facta profluunt.

Cur eryſipelas adeo frequenter reſolutione et gangraena, et tam raro ſuppuratione, finiatur, quaerere non alienum eſſe videtur. Hoc in morbo, plus minuſve humoris admodum tenuis, ab eo qui vulgo exhalat non multum forſitan differentis, paulo tantum acrioris, ſubter cuticulam ſemper effunditur, unde congeſtio aliqua ex parte levatur, vaſa relaxantur, ſpaſmuſque ſuperatur. Humor autem hujuſmodi, circuitu ſanguinis libero reſtituto, facile abſorbetur, et ſtatus partis ſanitatem priſtinam ſibi adipiſcitur. Quod, cur eryſipelas reſolutione ſaepiſſime ſoleat finiri, clare explicat.

Quae

Quae experimenta viri celebres Pringelius et Gaberus inſtituerunt, ea ſerum ſanguinis ad puris formationem omnino neceſſarium eſſe demonſtrant. Humor vero in hoc morbo effuſus naturam ſingularem habere, parumque materiae, quae in pus valet mutari, continere videtur. Igitur cauſa manifeſta et evidens eſt, cur ſuppuratione adeo raro finiatur, curque, hac orta, partes difficulter ſaneſcant, et in abſceſſus et ulcera, periculi plena, degenerare ſaepe reperiantur.

Quod hujuſce morbi gangraena tam ſaepe finis eſt, actioni et diſtenſioni vaſorum nimiis, materiae morbificae ad ſtructuram partis perdendam ſponte ſua proclivi, et calori partis laborantis intenſo, qui putridam fermentationem facillime promovet, et idcirco ad gangraenam excitandam magnopere confert, tribui poteſt. Denique, cur in aetate provectis eryſipelatis exitus fere ſemper ſit gangraena, in cauſa eſt vigoris ſyſtematis defectus, tonique partium affectarum jactura.

MORBI

## MORBI EVENTUS.

Exitus hujus morbi a conſtitutione aegrotantis corporea magnopere pendet. Idem quoque e ſignorum, quae affectum cerebri graviorem vel leviorem indicant, conditione praeſagiri poteſt. Si nec delirium, nec coma accedat, non multum habet periculi morbus. Si vero mature in morbo ſe oſtendant, multum periculi aegrotanti intentatur. Idem portendunt ſigna pyrexiae graviora. Si intra diem unum alterumve notae febriles nonnihil imminuantur, ſi aeger non ad ſenium vergat, et habitu validus ſanuſque ſit, ſi affectus artus inferiores teneat, ſi tumor ſubſidat, ſi calor dolorque gradatim leventur, ſi color roſeus in flavum mutet, et cuticula gradatim rumpatur, ſquamuliſque decidat, non magno in periculo verſatur aegrotus. Si ſigna, contra,

tra, pyrexiae gravia ſint et creſcere videantur; ſi eruptio ſerpat, et non tantum faciem, ſed etiam caput, cervicem, aliaſque partes iis vicinas, corripiat; ſi delirium et coma graviter urgeant; exitus non parum metuendus. Si alte ſedeat, et partem quamlibet ſenſu acuto praeditam, vel canalem alimentarium, invadat, in praecipiti eſſe videtur aegrotus. Denique, ſi aetate provectos, ſi diatheſi ſcorbutica, ſyphilitica, canceroſave vitiatos, vel eos, quibus vires morbis medicamentiſve diutius adhibitis ſint convulſae, occupet, maximo periculo objiciuntur aegroti, et proclivitas ad gangraenam metuenda.

## RATIO MEDENDI.

Quae ſuper hac argumenti parte, longe quidem graviſſima, auctores medici tradiderunt, iis multa addi, et ex iis multa corrigi poſſunt. Pauci enim nullive, qui hunc morbum

morbum ſunt executi, id ei, quod neceſſarium, luminis offuderunt. Nulla de re, quam de eryſipelatis curatione, opiniones invaluerunt magis diverſae, aliis certa remedia ſummis laudibus efferentibus, aliis eadem, ut pernicioſa, ex toto damnantibus. Duo eryſipelatis genera, unum diatheſeos inflammatoriae, alterum debilitatis et proclivitatis ad putredinem ſignis ſtipatum, hoc in opuſculo conſiderare decrevi. Hoc autem diſcrimen nullus adhuc auctor plene clareque illuſtravit, quod, ut probe novi, cur medici non pauci errores in multos funeſtos inciderint, in cauſa fuit. Conſilia igitur huic morbo medendi duo ſunt:

I. Diatheſin phlogiſticam tollere.

II. Debilitati occurrere, eandemve cum putredine inde proficiſcente removere.

Quantum ad primum attinet, hac in regione, aliiſque ad ſeptentrionem vergentibus, ſaepe perneceſſarium. Namque juniores et valentiores, in quibus diatheſis phlogiſtica,

giſtica dominatur, fere ſemper invadit erysipelas. Igitur, ſi notae pyrexiae pulſuſque arteriarum duri et validi adſint, praeſertim ſi impetus ſanguinis ad caput fiat, et delirium acceſſurum eſſe videatur, ad remedia antiphlogiſtica protinus decurrendum; namque rapiditas, qua morbus progrediatur, levamen quam maxime ſubitum deſiderat. Conſilio vero diatheſin phlogiſticam tollendi nihil melius accommodatur, quam ſanguis magis minuſve liberaliter, pro gravitate ſignorum e brachio, vena jugulari, arteriiſve temporum, emiſſus. In hac, ut in omnibus aliis inflammationibus loco propriis, quam proxime partem laborantem detrahatur. Hoc optime praeſtant hirudines, minuſque irritant, quam cucurbitulae cruentae, aliaeve ſanguinem mittendi rationes. Sex, octo, decemve, prout inflammatio patet dolorque urget, partibus affectatum quam maxime vicinis ſunt applicandae.

Quod e remediis antiphlogiſticis proxime dicendum, id eſt, alvi purgatio.

Haec, in morem ſanguinis detractionis, quantitatem humorum imminuit, quamvis in plenitudinem minus poteſt. Remedio ſuperiori adjungi, vel ſine eo adhiberi, poteſt. Quae purgantia maxime refrigerant minimeque irritant, ea optime convenient. Hinc cathartica ſalina, ut ſal Glauberianum, cremorque tartari, et infuſum quoque tamarindorum cum ſena, reliquis anteponenda.

Ad diatheſin phlogiſticam depellendam quoque conferunt diaphoretica.

Eſt moris medicorum, in omnibus acutis febribus eruptione ſtipatis, diaphoreſin lenem movere. Idem hoc in morbo cum commodo fieri poteſt. Spiracula cutis autem optime aperiunt diluentia, ſales medii, et emetica. E diluentibus praecipuum eſt aqua tepida, quae, aliquanto vini ſuccive limonum ei adjuncto, palato gratior reddi poteſt. Sales medii curſum humorum ad ſuperficiem quoque facere reperiuntur. Qui vulgo adhibetur, is ex alkali acidoque vegetabili conficitur. Julapium ſalinum, ut appellatur, in uſu maxime communi eſt;

ſed

ſed omnes alii ſales medii plus minuſve ejuſdem virtutis et potentiae habent. Nitrum, ut experimenta monſtrant, eſt remedium potentiſſimum.

Emetica in hac, ut in aliis febribus exanthematicis, interdum idonea ſunt, quod curſum humorum ad ſuperficiem manifeſtiſſime faciunt. Iis doſibus, quae ad vomitum plenum et reiteratum excitandum accommodantur, vel iis, quae nauſeam et aegritudinem, cum parca nullave omnino vomitione, movent, adhiberi poſſunt. Quae emetica in uſu communi, ea ſunt ipecacuanha et antimonium. Illa vomitum plenum tutiſſime et certiſſime movere exiſtimatur. Ex antimonio praeparatum, quod ſaepiſſime adhibetur, eſt tartarum emeticum. Hoc ad aegritudinem et nauſeam, quae ſuperficiem corporis in ſpatium temporis diuturnum humidam ſaepe tenent, faciendas optime accommodatur.

Hoc in morbo viciſſitudinibus caloris et frigoris ne objiciatur aegrotus; namque hoc aut ille nimius morbum graviorem reddere,

dere, et recedere cogere, periclitatur. Omnia ſtimulantia, quantum et alimenta et medicamenta ſpectat, curioſe vitanda. Lux et ſonitus quoque fugienda. Et denique, ſi delirium accedat, poſitura erecta toties, quoties poteſt tolerare, utatur aegrotus. Hoc impetum ſanguinis in vaſis capitis non parum imminuet, et aegroto levamen praeſentaneum ſaepe adferet.

Quantum ad externa remedia attinet, medici magnopere differunt. Multum, me judice, ſaepe nocent. Cum vero ſemper hoc in morbo affectus topicus, et in multis exemplis nullus alius adſit, cumque phlegmonen magna ex parte referat, ad ea, certis rebus ſubſtantibus, cum commodo decurri poſſe opinor. Ubi vero ſigna tenſionis, doloris, et inflammationis non gravia ſunt, nihil plerumque, niſi quod partes calore modico fovet, judicio meo, adhibendum. Omnis interea aëriae temperiei, in qua aegrotus habetur, mutatio, quantum fieri poteſt, fugienda. Lana, pannus laneus, et pelles moliſſima, parti laboranti tu-

tiſſime

tiſſime applicantur; namque non ſolum ab aëre externo eam defendunt, ſed quoque aliqua ex parte perſpirationem promovent, quod ad morbum depellendum plurimum conferre poteſt. Omnia unguenta et emplaſtra ſummae noxae ſunt. Etenim indolis unctiuſculae ſunt, et excretionem e parte affecta potius impediunt, quam promovent.

Multis in exemplis, hic morbus, et non ſine cauſa, uti videtur, graviſſima, ſaluti eſſe exiſtimatur. Igitur, ſub initium, non parum curae adhibendum, ne eum repellas, vel progreſſum ejus nimis repente ſiſtas. Quantum multa ſpectat, arthritidem refert; et igitur caute et prudenter curandus, et plerumque viribus naturae medicatricibus concredendus. Qui labem ob haereditariam ei patent, ii certis temporibus eo corripi ſolent, et, quanquam febris per totum morbi decurſum manet, non citius ex eo emerſerunt, quam valetudine praeter conſuetudinem commoda utuntur. Praeterea, evacuationibus copioſis, remediis

externis,

externis, aliisve quae vim repellendi habent, eum nimis celeriter removere conari, summo periculo esse demonstrat experientia. Curatione hujusmodi adhibita, erysipelas saepe repente recedit, et ut alicujus visceris interni inflammatio oriatur facit. Igitur, si morbus pro critico vel salutari debeat haberi, ut partes externas in aliquantum temporis teneat potius agendum.

Narcotica, refrigerantia, astringentia, ad gangraenam movendam conferre, est cur suspiceris, cum exulcerationes, quae in parte oriuntur, humores ad putredinem vergere indicent. Saepe adhibitum fuit saccharum saturni; sed affectum potius diffundere, gravioremque efficere, videtur. Omnia spirituosa, ob vim stimulantem, parum quoque idonea; inflammationem augere videntur. Pulmonibus affectum inflammatorium nonnunquam inferunt, vel morbum ad caput transferunt. Oleosa et humida non adhibenda, quod tumorem erysipelatosum augere videntur. Posteriora aliam ob causam repudianda, quod partem laborantem

rantem nimio frigore afficiunt, et igitur morbum repellere periclitantur.

De utilitate calcareorum, farinaceorum, ſiccorumve pulverum, alii medici alia ſunt opinati. Multi eos pro remediis praeſtantiſſimis habent, et ſummis laudibus efferunt, ſequentibus inducti, quod ad humiditatem, et acria, &c. quae e partibus morbidis effundi exiſtimantur, abſorbenda accommodantur, quodque cruſtulas deciduas formant, &c. Verba de hac ipſa re chirurgi Edinenſis celebris, Dr Aitken, quae citentur digna eſſe videntur. Praelectionibus in ſuis, affirmat, periculis multis factis, variiſque exemplis in plurimis notatis adductus, " remedia univerſa, locoque propria, quae in phlegmone adhibentur, eodem cum ſucceſſu proſpero in eryſipelate poſſe adhiberi. Quinetiam materiam effuſam naturae forſitan alkaleſcentis eſſe, et calcarea, cum ad acorem tantum abſorbendum accommodentur, eam nullo modo mutare poſſe, ſed, naturam ob ſuam, partes, quibus applicantur, vel chemice vel mechanice

chanice ſtimulare contendit. Hinc rationem medendi antiphlogiſticam uſui abſorbentium anteponendam eſſe concludit."

Quod ad hanc curandi viam attinet, non multum a ratione abhorrere videri exiſtimo, theoria motus. Et, cum abſorbentia partium laborantium perſpirationem manifeſte impediant, ea pro parum idoneis non habere non poſſum. Inſuper, cum cruſtas forment, et ulcera mali moris ſubter has ſaepe moveant, hoc modo quoque nocere poſſunt. Haudquaquam tamen diffitendum, ſaepe tuto et cum commodo adhibita fuiſſe, partibus inflammatis frequenter inſperſa. Moris eſt vulgi noſtratis ſuperficiem ſacci, qui farinam comprehendit, interiorem partibus affectis admovere. Pro hac, farinam triticeam adhibere poſſumus. Avenacea forſitan, utpote quae maxime ſpongioſa ſit, ei praeſtat. Prius per cribrum a palea et reliquis inquinamentis repurgetur, quam applicatur. Utrum autem haec praxis necne conveniat, experientia

et

et obſervationes reiteratae ſolae monſtrent neceſſe eſt.

Cum dolor graviter urget, quod ſaepe incidit, cum morbus partes ſenſu acuto praeditas occupat, emollientia ſimplicia, quae ne minimam quidem repellendi vim habent; quam abſorbentia modo poſita, adhibere praeſtat. Vapores aquae calidae, vel panni in tepida intincti, et parti affectae frequenter applicati, multum levaminis afferre poſſunt. Crura in aquam calidam ſaepius immergere, cum faciem caputve morbus corripit, multum prodeſt. Etenim humorum impetum a capite ad artus inferiores facit, et aegrotum ſaepiſſime levat.

Braſſicae folia, ut remedium excellentiſſimum, a nonnullis laudata fuerunt. Si quidem per ignem modice calefacta applicentur, aegrum refrigerant, morbum non repellunt, et ad exudationem promovendam nonnihil conferunt, quod dolorem magnopere imminuit. Remedium opti-

mum ſunt, ſi exulcerationes parvulae oriuntur.

Epiſpaſtica ad febrim minuendam ſaepe admodum neceſſaria ſunt, et, capite affecto, ſemper conveniunt. Parti vero laboranti nunquam, ſed diſtanti, ſunt applicanda.

Cum eryſipelas diſcuti nequit, et res ſaepius ita ſe habet, cum partes extremas occupat, cum aliquamdiu manſit, et dolor alte ſedere et perioſteum attingere videtur, cum tumor multum auctus et pulſatio partis laborantis percepta eſt, ſuppuratione finitum iri eſt cur expectes. Hanc promovebunt fomenta et cataplaſmata emollientia. Si dolor admodum urget, his opii tinctura poteſt adjungi. Suppuratio vero ſemper, ſi fieri poteſt, cavenda, quod ulcera prava, ſanatu difficillima, frequenter progignit.

Cum inflammatio admodum concitata eſt, tonus vaſorum et textura per excitationem nimiam perdi, et gangraena a violento dolore, calore partis inflammatae, et pyrexia intenſiore, oriri periclitatur. Rebus

ita

ita ſe habentibus, uſus generalium et topicorum remediorum antiphlogiſticorum, quae ſupra comprehendi, liberalis et tempeſtivus deſideratur. Gangraena quoque a vigore imminuto, et toni partis laborantis jactura, proficiſci poteſt. Caeterum, de hac gangraenae ſpecie, ſub proximo medendi conſilio fuſe differetur.

II. Debilitati occurrere, eandemve cum putredine inde pendente removere.

Eryſipelas, quod diatheſis phlogiſtica, ab eo, quod debilitas comitatur, accurate ſecernere ſummi in curatione hujuſce morbi momenti eſt, et a diſcrimine hoc genus facto vita aegrotantis non raro pendet. Hujus vero diſcriminis non eam, quam meretur, rationem habuerunt auctores, qui hoc argumentum ſunt executi. Sub morbi initium, et etiam per totum ejus decurſum, in viam medendi antiphlogiſticam proceſſerunt, vix unquam ſecum reputantes eum a ſtatu prorſus contrario poſſe pendere. Non quidem negandum, hunc morbum in hac orbis terrarum parte, et in regionibus frigidioribus,

frigidioribus ſignis inflammationis ſaepius, quam aliis, ſtipari ſolere. Caeterum, in plagis ad auſtrum magis vergentibus, ubi miaſmata paludum magnopere abundant, et iis anni tempeſtatibus, praeſertim autumno, quibus mortales morbis epidemicis et contagioſis inſigniter patent, quibuſque humores ad putredinem magis proni, hic morbus ſaepiſſime admodum periculoſus eſt, a ſumma ſyſtematis nervoſi debilitate incipiens. Quod cum in aetate provectioribus incidit, humores non raro ad putredinem tanta rapiditate vergunt, ut aliquando pauculis diebus rapiatur aegrotus. Morbus hujuſmodi, et ſaepe non parum funeſtus, ut a quibuſdam medicis Londinenſibus accepi, ibi in noſocomiis frequenter ſemet oſtendit. Quanquam in nonnullis ſigna inflammationis ſub initium adſunt; febris tamen magis minuſve in typhum brevi mutatur, prout magis minuſve eſt epidemica vel contagioſa. In exemplis hujuſmodi, ea, quae in auxilium inflammationis ſunt prompta, raro aut nunquam adhibent, ſed

ad

ad tonica et ſtimulantia protinus decurrunt. Quinetiam notandum eſt, evacuationes admodum caute et prudenter in omnibus eſſe adhibendas, qui labe ſcrophuloſa, habituve corporis aliter depravato, laborant, praeſertim in ſenibus, iiſve, quibus vires ſyſtematis medicamentis nimis diu adhibitis, aliiſve convulſae ſunt. Ratio vero medendi, quam jam ſum depicturus, rebus ita ſe habentibus, tutiſſima et efficaciſſima eſſe reperietur. In exemplis hujuſmodi circa initia febris, functiones cerebri multo magis laeſae ſunt; dolor capitis, nauſea et vomitus gravius urgent, magna anxietate, animo demiſſo, et oppreſſione circa praecordia ſtipata. Haec ſigna manifeſte demonſtrant ad tonica et antiſeptica remedia confugi debere. Horum praecipua ſunt cortex Peruvianus, vinum, acida vegetabilia et mineralia, frigoris applicatio. Quantum corticem ſpectat, cum poteſtatem habeat corroborantem, in omnibus debilitatis exemplis haud dubie prodeſt. Caeterum, inter medicos non parum adhuc diſceptatur,

utrum

utrum laudes necne, quas ſibi fuerit adeptus, mereatur. Experientia vero adhibendum eſſe teſtatur. Cum datur, aliis medicamentis, vino, ex. gr. plerumque adjungitur, quae forſitan ex aequo potentia ſunt; adeo ut experimenta adhuc deſint, quae, utrum omnes necne virtutes, quae ei tribuantur, revera poſſideat probent. De modo, quo debeat dari, inter auctores minime convenit. Alii decoctum, alii infuſum, alii tincturam, alii ſubſtantiam, laudant. Decoctum iners eſſe, et infuſum virium ejus parum continere, judico. Tinctura multo plus virtutis ejus comprehendit; ſed, cum pauciſſimi quantitatem ſatis amplam hac forma ſumere poſſint, nonnunquam minus idonea eſſe poteſt. Si omnes corticis virtutes habere velis, ſubſtantia detur. Cum hoc medicamentum non prodeſt, quantitas nimis exigua data in cauſa eſſe videtur. Æque liberaliter, me judice, ac in febribus intermittentibus, dari debet.

Quantum ad vinum attinet, cardiacum potentiſſimum eſt. Tutius datur ex aqua dilutum.

dilutum. Parvis quantitatibus ſumatur, et pro gravitate ſignorum frequenter reiteretur. Si vinum non poteſtate antiſeptica, ſed ſtimulante, ut multis placet, in morbum poteſt, nihil omnino obſtare videtur, quo minus ei alcohol anteponas.

Quantum frigus ſpectat, hoc in typho remedium tonicum efficaciſſimum eſſe, credunt plerique medicorum. Aër frigidus, nullo obſtaculo oppoſito, in cubiculum aegrotantis diffundatur, et ad ipſum etiam libere et conſtanter adſpiret.

Si gangraena accedat, et a toni partium jactura proficiſcatur, eam indicabunt vires admodum proſtratae, horrores ſubita doloris, ceſſatio, ictus arteriarum parvuli et debiles. Senſilitatem, calorem, elaterem, ruborem, partes amittunt. Tumor mollis, flaccidus, et ſenſus expers, evadit, et exulcerationes in partibus laborantibus oriuntur, quae nigro foetidoque liquore replentur. Quae tument, ea denique colorem lividum, ſubfuſcum, nigrum, ſibi aſſumunt. Rebus ita ſe habentibus, antiſeptica, ſtimulantia, et cardiaca,

diaca, quae ſupra poſui, liberaliter ſunt adhibenda. His adjungatur acidum vitriolicum rite dilutum. Ubi vinum, ob aegroti paupertatem, vel alia, nequit comparari, vicem ejus ſuppleant ardentes ſpiritus, qui forſitan, certis ſubſtantibus, non minus proſunt. Quinetiam, adhiberi poteſt cereviſia lupulata Londinenſis, quae *porter* vocatur. His externa adjiciantur, ut cataplaſmata, quibus admiſcenda ſunt ſtimulantia et antiſeptica, ut ſpiritus ardentes, flores chamomaeli, &c. Poſtquam gangraena orta eſt, partes emortuae a vivis per inciſiones ſeparandae. Partes emortuae etiam, ut ſaniei putridae effluere liceat, ſcalpello ſunt dividendae.

FINIS.

MedHist
W4
F23
1782
G.2